



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Generales Congregationis Cluniacensis. cap. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

Composuit à deuotum illum Hymnū de S. Maria Magdalena, quā utitur Eccl. Ro. in hodiernū diem, uidelicet *Lauda Mater Ecclesie*. Et ut erat in scripturis sanctis studiosus, & eruditus, nō minus quā sanctitate clarus, scripsit ad posterorum utilitatem,

Sacrorum Hymnorum in honorem Sanctorum, lib. 1.

Homiliatum, ac sermonum ad suos fratres, lib. 1.

De uita S. Gerardi, lib. 1. Cronicham succinctam, lib. 1.

Vitam, & Translationē S. Martini Episcopi Turonensis, lib. 1.

Quæ excusæ sunt Parisijs, cum Sulpitio Senero, anno 1511.

Abbreviationum Moralium D. Gregorij Papæ in Iob, lib. 2. si rectē memini, qui impressi sunt Parisijs, in 4.

In Hieremiam Prophetam lib. 3. qui sunt Cluniaci MS. uocantur quæ in hodiernum, Liber occupationum S. Oddonis.

De sacrosancta Euch. uersus aliquot, qui sunt in lib. nostro. Ad Oddonem Episcopum Cameracensem.

Et alia nonnulla, quæ ad manus meas non peruenerunt. Quando obierit mox uidebitur in Catalogo Abbatum Generalium tam monasterii, quam Congregationis Cluniacensis, qui sequitur.

### Generales Congregationis Cluniacensis. Cap. III.



Nō Dominicę Natiuitatis 910. Gulielmus Pius Aquitaniz Dux, in ualle, quæ dicitur Cluniacalis Burgundia, non longe à ciuitate Matiscornensis, nobis construxit in honorem Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, à loco in quo ædificatū fuit Cluniacense dictum; ei quæ primus Abbas præ-

atus S. Berno, aduocatus ex Balmensi monasterio, quod erat in comitatu Burgundiæ iuxta Polinium. Qui

S. Berno, ex Comitibus Burgundiæ originem ducens, præfatus sanctissimè annis 16. & miraculis clarus, quieuit anno 926. Idibus Ianuarij, & in veteri Cluniacensi ecclesia S. Petri sepultus est, retro Altare S. Catarinæ.

S. Oddo ex nobilibus Francorum, secundus Cluniacensis Abbas, & primus ordinis Monastici Nigrorum reformator, necnon, & Greg. Cluniacensis primus Generalis, defuncto S. Bernone creatus an. 926. præfuit annis 17. in Abbacia; in Generalatu uero 13. uel citius: & bonis operibus plenus, migravit à seculo an. 943. die 18. Nouembris, & Cluniaci sepultus est.

S. Armar

S. Aymardus Comitis Engolismensis filius, Abbas III. & Gener. II. creatus anno 943. præfuit annis 11. & tandem luminibus orbatus abdicauit anno 954. & anno 963. resignationis suæ 9. obiit Cluniaci die 5. Octobris, ibidem in ueteri ecclesia S. Petri retro altare B. Mariæ sepultus.

S. Mayolus nobilissimis parentibus in Prouincia natus, Abbas III. & Gener. III. ob abdicationem Aymardi, creatus anno 954. præfuit in omni bonitate annis 40. & tandem sanctitate clarus, obdormiuit feliciter anno Domini 994. die 5. idus Maij, in monasterio Siluigniaco, in quo & sepultus est.

S. Odilo, Aruernus, ex Equestri nobilissimo sanguine procreatus, Abbas V. & Gener. III. creatus anno 994. præfuit annis 55. Primas festum Omnium fidelium defunctorum, altera die post festum Omnium Sanctorum, in suis monasterijs obseruari præcepit, quem ritum Vniuersalis Ecclesia suscepit. Obiit pridie Calendas Ianuarij anno Domini 1048. ætatis suæ 87. Siluigniaci, ubi & sepultus est.

S. Hugo, Gallus, Eduensis, nobili genere ortus, Abbas VI. & Gener. V. creatus anno 1059. Calendis Ianuarij, præfuit annis 60. mensibus 3. & diebus 29. obiitque clarus miraculis anno Domini 1109. tertio Calendas Maii. Cluniaci in Ecclesia maiori Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, quam ipse construxit, primum sepultus est, retro altare matutinali: sed inde postmodum translatus die 13. Maii, super altare maius honorifice collocatus est.

S. Pontius, Comitis Margulienensis filius, Abbas VII. & Gener. VI. creatus anno Domini 1109. rexit annis 13. Et anno regiminis 10. factus est S. R. E. Cardinalis à Calisto Papa II. & post triennium obiit anno 1122. quarto Calendas Ianuarij Cluniaci, ubi & sepultus est in Ecclesia maiori, iuxta altare S. Martini. Vacauit Abbatia menses duos, & dies aliquot.

D. Hugo, huius nominis II. ex Priore de Marcigniaco, Abbas VIII. & Gener. VII. creatus anno 1123. præfuit mensibus tribus: & eodem anno, die 7. idus Iulij, Cluniaci mortuus est, sepultus ibidem iuxta altare SS. Nazarij, & Celsi. Vacauit Abbatia mensem unum, & dies duodecim.

S. Petrus, cognomento Venerabilis, & Mauricius, nobilis Aruernus, Abbas IX. & Gener. VIII. creatus die Octauarum Assumptionis Dñæ Mariæ, anno 1123. rexit in omni doctrina & pietate annos 35. menses 4. & dies 4. Obiit autem Cluniaci plenus dierum anno omni 1157. octauo Calendas Ianuarij, ibique sepultus est inter altare

altare SS. Iacobi & Philippi, & altare S. Dionysij. Vir scientia singularis fuit, & sermone dulcis, & compositus, scripsitque ad populorum utilitatem, uidelicet.

Reuelationes multorum, lib. 1.

De conuersatione Eremitica, lib. 1. Suscepi literas dilectionis.

Epistolarum ad diuersos, lib. 6. in quibus inseruit librum unum

contra Iudeos: & alterum contra Petrobrusianos hereticos: qui excusi sunt Parisijs, in folio.

Cum esset in Hispania cum Imperatore, transtulit de Arabico in

Latinum, Alchoranum Machometi: quem, Cluniacum reuerens,

confutauit doctissime libris quinque, qui quidem impressi sunt, sed

ubi non uidi. Scripsit, &

De miraculis sui temporis, lib. 2.

De transfiguratione Domini, serm. 1.

De laude sepulchri, serm. 1.

De S. Marcello PP. & martyre. serm. 1.

In ueneratione reliquiarum quarumlibet, serm. 1.

Contra eos qui negabant Christum, nunquam se in Euangelio aperte Deum dixisse, epistolam unam longam, & utilissimam, ad Petrum de S. Ioanne.

De uita S. Matthæi Card. Albanensis, lib. 1.

De diuersis monachis, Epitaphia.

De laude Saluatoris,

De Resurrectione,

De S. Hugone Abbate,

} Rythmos.

De Beata Virgine Maria,

De S. P. N. Benedicto,

De S. Maria Magdalena.

} Hymnos.

De eadem Beata Virgine Maria, Profani unam.

Et alia multa, quæ ad manus meas non peruenerunt.

D. Hugo III. de Frafan, Abbas X. & Gener. IX. creatus anno 1163. præfuit annis 5. & mensibus 2. Obijt idibus Martii anno 1163. & sepultus iacet apud Valles sub Poligniaco.

D. Stephanus, Abbas XI. & Gener. X. creatus anno 1163. rexit annos decem: post quos coactus abdicauit anno 1173. & sequenti mortuus pridie Idus Augusti, Cluniaci sepultus est ante altare S. Stephani.

D. Radulphus de Soliaco, Abbas XII. & Gener. XI. creatus anno

no 1173, nepos Henrici Vintoniensis Episcopi, præfuit annis tribus, & libere ac sponte abdicavit anno 1176. obiitque eodem anno pridie Calendas Octobris, sepultus ad S. Mariam de Caritate super Ligerim.

D. Gualterus, Abbas XIII. & Gener. XII. creatus anno 1176. cum rexisset quasi anno uno, eodem anno obiit die 8. Idus Septembris; & Cluniaci sepultus est ante capellam S. Martialis.

D. Gulielmus, ex Abbate Ramensi, Cluniacensis Abbas XIII. & Gener. XIII. creatus anno 1176. præfuit annis duobus, & mensibus quatuor; obiitque anno Domini 1179. inchoante, die 3. Idus Januarii, apud monasterium Caritatis, ubi & sepultus est.

D. Theobaldus, ex monacho Crispeiensis, & Abbate S. Basoli, Cluniacensis Abbas XV. & Gener. XIII. creatus anno 1179. præfuit fere anno uno: eodem nempe assumptus in Cardinalem ab Alexandro Papa III. Abbatia, & Generalatui cessit. Obiit anno 1188. pridie Nonas Novembris, & Cluniaci sepultus est.

D. Hugo III. de Claromonte, ex Abbate S. Luciani Beluacensis, Cluniacensis Abbas XVI. & Gener. XV. creatus an. Domini 1180. rexit annos 18. & menses aliquot. Obiit anno 1199. die 6. Idus Aprilis, sepultus Cluniaci inter altaria S. Andreæ, & S. Vincentii cū his epitaphijs.

*Quid sit homo; quid sit honor.*

*Quid opes, quid cetera mundi;*

*Aequè cuncta metens; mors metuenda mouet.*

*De Claromonte clarum culmen Cluniaci;*

*Claruit Hugo patet; clareat ante Deum.*

*Nobilitas, probitas, pietas prudentia, forma.*

*Marceat in hoc, cedit, deficit, aret, obit.*

*Lux Aprilis eum; subtraxit sexta, beatus*

*Vivat in octava: qui legis adde preces.*

*Aliud Epigramma.*

*Portas Petre poli venientes claudere noli,*

*Ignarum doli, Christo conducito soli.*

*Mitis amore Dei, ditetur luce dici,*

*Mors moriatur ei, & vivat vita Requiei.*

D. Hugo V. ex Abbate Radingensi, Cluniacensis Abbas XVII. & Gener. XVI. creatus anno 1199. rexit annos octo, & menses aliquot. Obijt anno 1207. die 4. Cal. Septembris. Sepultus iacet apud Cluniacum sub S. Pontio Abbate.

D. Gu-

D. Gulielmus II. ex Priore S. Martini de Campis Parisijs, Cluniacensis Abbas XVIII. & Gener. XVII. creatus anno 1207. cum exisset Ordinem annos septem, & menses septem plus minus, dedicauit feria 4. ante Pascha anno 1215. & octo alijs annis superueniens, obiit Cluniaci anno 1222. die 11. Calend. Octob.

D. Geroldus, siue Girardus, vel Gerondus, ex Abbate Bolismensis Cluniacensis Abbas XIX. & Gener. XVIII. creatus anno 1215. ipso die quo abdicauit Gulielmus, præfuit annis quinque plus minus. Factus namque Episcopus Valentinus anno 1220. resignauit: postea Patriarcha Hierosolymitanus anno circiter 1230. creatus, in eadem dignitate obiit Hierosolymis anno . . die 7. Idus Septembris, & apud Sepulchrum Domini ibidem sepultus est. Scripsit epistolam vnā insignem, cuius exemplar est excusum in Hist. Angliæ Matthæi Paris, folio 480.

D. Rolandus, Abbas XX. & Gener. XIX. creatus anno 1210. præfuit annis plus minus octo. Et resignatione facta anno 1218. in capitulo fratrum, reliquam vitæ priuatus exegit, obiitque die de Cluniaci, 2. Idus Nouemb. & ibidem in Capitulo sepultus est.

D. Bartholomæus Abbas XXI. & Gener. XX. creatus an. 1218. præfuit annis duobus, obiit Cluniaci anno 1230. ipso Calend. Maii ibidemque retro Chorum sepultus est.

D. Stephanus II. de Bergiaco, ex Priore Siluigniaci, Cluniacensis Abbas XXII. & Gener. XXI. creatus anno 1230. præfuit annis sex tandemque resignans obiit pridie Calendas Nouembris, & Siluigniaci sepultus est.

D. Hugo VI. ex Abbate maioris monasterij Turonis, Cluniacensis Abbas XXIII. & Gen. XXII. creatus anno 1236. cum rexisset annos plus minus octo, in Episcopum Lingonensem assumptus est, anno 1244. Obiit in Syria Idibus Aprilis, & apud Damiam sepultus est.

D. Gulielmus III. de Pon, siue de Pontoise, Prior Caritatis, & Abbas XXIII. ac Gen. xxiii. creatus anno 1244. præfuit annis plus minus 14. Postea anno 1257. in Episcopum Agenensem electus, resignauit, & anno Episcopatus sui 7. Domini 1263. die 15. Calend. Ianuarii, obiit, & apud S. Martinum de Campis Parisijs sepultus est.

Narrat auctor Chronici Cluniacensis rem miram quæ contigit anno primo huius Abbatis, videlicet, quod Innocentius Papa in hospitatus sit in monasterio Cluniacensi, habens secum Cardines xii, Patriarchas duos, Constantinopolitanum, & Antiochenum, & chiepi-

chiepiscopos tres; & Episcopos, quindecim. Aderat & Imperator Constantinopolitanus, Rex Franciæ, cum Matre, sorore, & fratre Comite Artelæ: filij Regum Castellæ, & Aragoniæ: Dux Burgundiæ; Comites sex, & multi alij Principes & Barones, cum infinita militum multitudine; & cum tam multi essent, monachi tamen nūquam amiserunt Dormitorium, Refectorium, Monasterium, Capitulum, Infirmarium, Cellerarium, Coquinam, neque aliquam de officinis Conuentui deputatis, omnibus hospitantibus infra Ecclesiæ Monasterij, clausura monachorum intacta.

D. Yuo, de Poiseu, ex Priore S. Marcelli Cabilonensis, Abbas XXV. & Gener. XXIII. creatus anno Domini 1257. præfuit annis 18. nullisq. Obiit anno 1275 die 8. Septembris, & Cluniaci sepultus est inter altaria SS. Iacobi & Clementis.

D. Yuo II. de Chiseus, siue Chasant, Prior S. Martini de Campis, & Abbas XXVI. ac Gener. XXV. electus in die sepulturæ sui prædecessoris, anno 1275. præfuit annis 14. quatuor diebus minus. Obiit die 3. Septembris an. 1289. & inter altaria SS. Andreæ & Clementis Cluniaci sepultus est.

D. Gulielmus III. de Igiaco, Abbas XXVII. & Gener. XXVI. creatus anno 1289. præfuit annis sex. Obiit anno 1295. tertio Calendas Octobris, & Cluniaci sepultus est in capitulo fratrum iuxta Rolandum Abbatem.

D. Bertrandus, de Columberijs, Prior Caritatis, & Abbas xxviii. ac Gener. XXVII. creatus anno 1295. rexit annos 13. Obijt anno fatalis 1308. 4. Calendas Nouembris, & Cluniaci sepultus est inter altaria SS. Vincentii, & Nazarij & Celsi martyrum.

D. Henricus, de Fialteris, Procurator ordinis in Curia Romana, Abbas XXIX. & Gener. XXVIII. creatus anno 1308. rexit annos 11. Deinde anno 1319. renunciatus Episcopus secundus S. Flori in Arvernica, præfuit Episcopatu annis 10. obiitque anno 1330. inchoante 4. Calendas Februarii, in Episcopatu suo sepultus.

D. Raymundus, Abbas xxx. & Gener. xxix. creatus anno 1319. in abdicatione sui prædecessoris, præfuit ordini annis tribus. Obiit anno Domini 1322. ipsis Calendis Nouembris, Auinione, ibique sepultus est in ecclesia B. Mariæ de Donis.

D. Petrus II. de Castro Lucij DD. Doctor, Abbas XXXI. & Gen. XXX. à summo Pontifice creatus an. Christi 1322. rexit an. 20. Abdicauit anno 1342. quando factus est Episcopus Valentinus in Gallia, quem Episcopatum cum administrasset annis duobus obiit an-

M M m no

no 1344. quarto Nonas Martij, & Cluniacum deportatus, ibi sepultus est in capella S. Martialis.

D. Iterius, de Momande, DD. Doctor, Abbas xxxii & Gener. xxi. creatus anno 1342. rexit annos quatuor, & menses aliquot. Obiit anno 1347. quarto Idus Februarii, Auinione, ubi & sepultus est in capella S. Mariæ de Donis.

D. Hugo VII. Abbas XXXIII. & Gener. XXXII. creatus anno 1340. præfuit annis 4. Deinde deuotione tactus resignauit in manus Domini Papæ, & ordinem Cartusiensium ingressus anno 1351. in eodem uixit annos 18. in quo & mortuus est anno Domini 1368. pridie calendæ Augusti, in Prioratu Vallis Sanctæ Mariæ eiusdem Ordinis sepultus.

D. Androinus de Ruppe, siue Rocca, Theologiæ Doctor, ex Abbate S. Sequani, Abbas XXXIII. & Gener. XXXIII. creatus anno 1351. rexit annos 10. plus minus. Et anno 1361. die 15. Cal. Obiit Auinione, ab Innocentio PP. VI. in numerum purpuratorum cooptatus, resignauit: indeque obiit Viterbii anno 1369. sepultus in eadem in Ecclesia Veritatis, sed inde Cluniacum reportatus iuxta pellam S. Martialis repositus est.

D. Simon de Brossa, DD. Doctor, Abbas XXXV. & Gener. xxxvi. creatus anno 1361. præfuit annis septem, & mensib. aliquot. Obiit anno 1369. 6. Calendæ Iunij, & sepultus est Parisiis apud Scolares.

D. Ioannes de Pino, Prior S. Martini de Campis, Abbas XXXVI. & Gener. XXXV. creatus anno 1369. rexit annos quinque. Obiit anno 1374. die 6. Idus Ianuarii. & Parisiis apud S. Martinum de Campis sepultus est.

D. Iacobus, Abbas S. Theofredi, & Abbas Cluniacensis XXXVII. ac Gener. xxxvi. creatus anno 1374. præfuit annis octo, & mensibus sex. Obiit anno 1382. die 2. Nonas Iulij, Auinione in ecclesia S. Martialis sepultus.

D. Ioannes II. de Cofanco, ex Abbate montis Eremacenfis, Abbas xxxviii. ac Gener. xxxvii. creatus anno 1382. præfuit annis 1. mense 1. diebus 5. Obiit quarto Idus Septembris anno 1400. & Cluniaci iuxta introitum chori sepultus est.

D. Raymundus II. de Cadoena monachus Tornacenfis, & Prior maior Cluniacensis, & Abbas xxxix. ac Gener. xxxviii. creatus anno 1400. die 4. Idus Septembris, mox ut sepultus est eius prædecessor, à toto conuentu, ut moris antiqui erat, in capitulo electus ab Episcopo Cabilonenfi consecratus est. Præfuit laudabiliter annis 14. diebus 14.

debus 3. Obiit anno 1416. die 12. mensis Septembris, & Cluniaci iuxta capellam S. Dionysii à parte maioris altaris sepultus est.

D. Robertus de Chaudespia. DD. Doctor, Prior Celsinarum, & Procurator Ordinis in Concilio Constantiensi, Abbas XL. & Gener. XXXIX. creatus anno salutis 1416. rexit annos 7. Obiit anno 1423. iuxta prædecessorem suum sepultus.

D. Oddo II. de Petteria, monachus Cluniacensis, & Prior Silvaniaci, deinde Abbas xli. & Gener. xl. creatus anno 1423. præfuit annis 33. & mensibus 10. Vir fuit sanctissimus, silentii, maxime nocturni, præcipuus custos, observantiae regularis amator, & prophetiae etiam spiritu clarus. Obiit anno 1457. Cluniaci sepultus.

D. Ioannes de Bourbonio, Episcopus Aniciensis, & Cluniacensis Abbas xlii. ac Generalis ordinis xli. creatus anno Domini 1457. Quantum præfuerit ignoro, cum auctor Chronici Cluniacensis, qui penes me est Manuscriptus in eius creatione historiam suam finiat. Adiecimus & sequentem ex Iudoco Clithoueo S. T. Doctore.

D. Iacobus de Ambasia, monachus, & Abbas Cluniacensis . . . qui floruit anno Domini 1507. quo ferè tempore creatus est Episcopus Clatomontanus.

Reliqui Cluniacenses Abbates usque ad præsens, qui fuerint ignoramus, arbitramur tamen maiori ex parte Commendatarios fuisse, non autem Monachos professos.